



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendivm Summæ Card. Toleti

Minucius, Genesisius

Sammieli, 1613

De Apostasia & infidel. c. 6.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41701

putatum, carceri non tradunt, vel statim postquam relictus est brachio sæculari non puniunt debita pœna, vel è carcere sine Inquisitoris, vel Episcopi licentia liberant: Cum se immiscant in cognoscendis hæreticorum causis, cum directè vel indirectè processum, vel sententiam impediunt, aut demùm, cum Inquisitori, vel Episcopo se opponunt in hæretici causa, & hæc excommunicatio est Episcopalis. Si verò hæreticum vt talem defendunt, est excommunicatio Bullæ Cœnæ Domini. * Quartò. In illam excommunicationem Episcopalem incurrunt etiam, qui auxilium, vel consilium huiusmodi potestatibus præbent. Vide sup. lib. primo cap. 19.

De Apostasia, & Infidelitate.
Cap. 6.

Apostasia est * error hominis baptizati, fidei Catholice ex toto contrarius. Quare grauior heresi Apostasia est, quia illa, ex parte, hæc ex toto, fidei contraria est. Apostasia dicitur retrocessio, & Apostata retrocedens. Apostata triplex, interior tantum, exterior tantum, & interior & exterior simul, & hic duntaxat, iuris pœnas, & excommunicationem incurrit Bullæ Cœnæ Domini in utroque foro. Infidelitas est error hominis nõ baptizati, fidei Catholicæ siue ex toto siue ex parte contrarius. Vnde includit hæresim & Apostasiam, tamen in duobus tantum casibus est peccatum. Primo quãdo quis sufficiens fidei Christianæ notitiã habet, & nihilominus in suo persistit errore. * Secundo quãdo negat id quod ratione naturali sciri potest, & ad Cath. pertinet fidẽ. Quãobrem Iudæi, & alii Infideles, qui propè Christianos sunt, &

de nostra Christiana Religione notitiam habent, à peccato non excusantur, sicut nec illi, qui plures colunt deos, & præcepta diuina contemnunt.

*De spe, & peccatis contra Spem.
Cap. 7.*

Spes est* inclinatio ad futuram beatitudinem, Dei auxilio cōsequendam.* Peccata contra spem sunt duo: Despetatio & Præsumptio. Despetatio est quidam recessus voluntatis à beatitudine futura. Desperatio interdum est sine fide, & vnum quid cum hæresi: vt si quis beatitudinem non crederet esse, vel à Deo posse dari, aut nolle eam dare: alias cum fide manet, vt si quis putet sibi Dominum non remissurum peccata, quia multa, & magna sunt. Est vero peccatum desperationis, minus hæresi, sed periculosius. Præ-